

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Medico-Practica Inauguralis. De Morbo  
Maculoso Hæmorrhagico Werlhofii**

**La Faille, Jacob Baart de La Faille, Jacob Baart de  
Groningae, MDCCXCIX.**

**VD18 13387421**

Caput IV. Casus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8951**

Simul autem humores renovandi, & vires corporis blandis nutrientibus & inviscantibus sustentandæ sunt, quibus solutorum humorum restituitur crasis, & vires amissæ restaurantur; hinc juscula carniû macra, decocta seminum cerealium, emulsiones similiaque cum vini rubri generosi vel rhenani parca portione, si res ægri illud admittant, concedi possunt.



## C A P U T I V.

### C A S U S.

Cas. I. Puella tenera sedecim annos nata, nondum menstrua passâ, quadriennio elapso, graviter scarlatina anginosa plectebatur, & morbo ad finem vergente, subito sese exposuit aëri, unde ilico corporis tumore hydropico fuit adfecta. A quo inde tempore pallida semper & debilis remansit. Absque ulla prægressâ causa die xx Febr. Anni 1798 percepit ex ore sanguinem grumofum & nigrum par-



parca quantitate evacuari; nocte placide dormi-  
vit, sed continuante evacuatione oris cruenta, si-  
mul in collo & pectore prodibant maculæ latæ,  
plures supra cutem elevatæ & nigræ, quæ dein  
ulterius de die in toto corpore apparebant, maxi-  
me in cruribus, quæ iis undique erant testæ. A  
Medico curam ægræ gerente exhibitum fuit dec.  
e rad. lapath. acut.

Die xxii Sedes & urina sanguine etiam tinctæ  
erant. Usus dec. continuatus est interpositis gut-  
tulis ex acid. vitr. & sequente die e spir. nitri  
dulcis simul cum inf. herbæ salviæ.

Die xxv Eam primo visitavi, facies tunc erat  
pallida & flavescens, in eaque nullæ amplius ade-  
rant maculæ, nisi in tunica albuginea utriusque ocu-  
li, quæ erant profunde purpureæ, non vero ele-  
vatæ; in collo & reliquo corpore disparere, magis  
rubræ & planæ fieri incipiebant; in lingua hic &  
illic maculæ nigræ planæ, & quasi gangrænosæ in-  
veniebantur; gingivarum color erat pallidus, ita  
tamen ut sanguis niger hæreret inter dentium in-  
terstitia; sedes adhuc erant nigræ & sanguinæ; u-  
rina plane sanguine saturata, ita ut sanguis mera-  
cus, valde tenax & nigerrimus evacuaretur; pulsus  
erat satis plenus, sed mollis, nec ultra modum ce-  
ler; a sanguinis jactura se debilem sentiebat, cæte-



roquin appetitu fruebatur bono, nec de ullo alio incommodo querebatur. Cum præcedenti dec. lapath. acut. combinata est rad. brittann., quod simul cum guttulis acid. vitr. ad diem xviii Martii usque adsumsit.

Die 11 Martii sanguis sedibus & urina evacuabatur usque ad diem xxvii hujus, quo tempore hæmorrhagia cessavit, maculæ sensim disparuerunt, & os sanatum est, ita ut nullus sanguis amplius e gingivis efflueret, quo facto demum lente convalescivit. Ab eo tamen tempore remansit dyspnœa et habitus cachecticus (98).

Cas. II. Puella novem annorum, integra antea usque valetudine absque causa manifesta, elapsis fere tribus mensibus, correpta est oris adfectione quadam, qua gingivæ erant rubræ, spongiosæ & ad attractum sanguinem fundentes, in gena interna similes aderant plagæ; cæterum bene valebat, præterquam quod glandulæ submaxillares parumper tumerent. Applicito gargarismate ex aceto & melle disparuerunt hæc oris incommoda; successit pectoris oppressio cum tussi, quæ sublata est, simul ac mel cum ovi vitello ingereretur; apparuit tunc iterum tumor insignis glandularum submaxillarum, ut & turgor totius faciei cum colore pallido flavescente; palpebræ utriusque oculi, tam superiores quam



quam inferiores, quasi ab extravasato sanguine turgida & cærulea evaserunt; accessit irregulari modo febris cum pulsu valde celeri, pleno, sed molli, lingua alba, appetitu dejecto, sedibus naturalibus, urina varia, plurimum materiam albam, mucosam deponente; nullum aderat delirium. Quæ conditio fere per quatuor septimanas duravit, quando febris & faciei tumor augebantur, pulsabat graviter utraque carotis, cor vehementer palpitabat, & pulsus ferox erat. Incausum exhibitis decoctis e rad. lapath. acut. aliisque antiscorbuticis & acidis mineralibus ac vesicantibus, interpositis nonnunquam medicamentis laxantibus, præcepimus mixturam cum camph., nitro, aceto & syr. diacod.

Die xxvi hujus. Hesternæ nox fuit valde inquieta, febris insignis cum ingenti ardore & sudore copioso; faciei & palpebrarum conditio eadem; convulsionibus absque remissione aderant, quæ tamen post sedes tres nigras & piceas cessarunt.

Die xxvii. Hac nocte febris iterum gravis adfuit; glandulæ submaxillares minus tument; pulsus regularis; urina limpida cum sedimento albo furaceo; vesicatoria cruribus sunt applicita & ecoproticum e senna &c. exhibitum, cum mixtura camphorata continuatum est.

Die xxviii. Heri a febre libera fuit, nocte iterum



rum aliqua febris adfuit; limbi cærulei magis circa oculos sunt conspicui & profundioris coloris; in medio frontis etiam apparet macula cærulea uti & in externa manus dextræ superficie; color faciei minus pallidus; pectoris oppressio & tuffis minores; abdomem tenfum; crura etiam oedemate tumunt; glandulæ submaxillares iterum magis turgent; aliqua adfuit narium hæmorrhagia sanguinis nigri. Præscripsimus liniment. vol., ut eo fricarentur glandulæ & abdomen, & interne dec. e rad. valerian. fylv. cum camph.

Die xxx. Nox hesternæ valde fuit inquieta & febris insignis, sub febre maculæ nigræ circa oculos turgent sanguine ad crepaturam usque; hodie autem minor febris gradus; cæterum eadem adfunt symptomata. Cont. medic.

Die Oct. ii. Omni respectu pejor est, & symptomata febris graviora.

Die vii. Per quatuor dies a febre fuit immunis, licet oculorum livor continuaret; die autem vi magnam quantitatem cibi crudi adsumsit, unde convulsiones graves & narium hæmorrhagia insignis obortæ sunt, cum quibus die vii mortua est (98).

Cas.

(98) Hofce binos casus a Cl. Præceptore E. J. THOM. A THUESSINK observatos, ac necum benigne communicatos, hic exhibere mihi proposui.



Caf. III. xviii. Oct. 1798. Femina viginti fere annorum nondum nupta, constitutionis robustæ ac plethoricæ, decem septimanis præterlapsis, benignis variolis corripiebatur, quas absque ullo incommodo sustulit.

Die xviii. hujus mensis ilico absque prævia manifesta causa morbum maculosum subiit, præterquam quod ante morbum, laboribus rusticis Jedita, sæpenumero humidum frigus pedum passa fuisset, & diu menstruis irregulariter fluentibus, jam vero per septem septimanas emanatis, laborasset. In initio morbi præter debilitatem nil incommodi sentit, attamen ante octiduum molestam abdominis intumescenciam inprimis post adsumta alimenta percipit, ita ut res domesticas non posset perficere.

Die xii. Oct. jam hic & illic quædam maculæ rubræ in corpõris superficie, inprimis postea iis in locis, quæ vestibus tecta erant, apparebant, magnitudinem pulicum morsuum æquabant, in initio profunde rubræ, dein purpureo - cæruleæ evadebant, petechiis variolarum malignarum similes; plagæ quoque majores cæruleæ æque ac fugillationes scorbuticæ hic & illic sub epidermide prodibant, adæquantes dimidiati pollicis magnitudinem; occupabant etiam minores maculæ brachia atque faciem; pulsus parum celerior ac plenior quam in

sta-



statu sano observabatur; appetitus dejectus; lingua alba; os & nares odorem fætidum spargebant, etiam ipsi ægræ molestiam creantem; quando nares emungebantur; quædam sanguinis guttæ evacuabantur; si gingivæ perfricarentur, etiam fundebant sanguinem; inter dentes & in faucibus sanguis coagulatus deprehendebatur. Querebatur ægra continuo de cephalæa & lassitudine totius corporis; Ad abdominis intumescenciam corrigendam exhibuimus dec. laxans e fenna &c.

Die xxii Oct. Quod ad maculas & totum morbum attinet, nulla mutatio observabatur; sed pectus oppressum erat, & respiratio anhelosa, quare die sequente venæsectionem x unc. instituimus optimo cum levamine; sanguis ab omni parte naturalis videbatur. Cont. dec. laxans;

Die xxvi quædam maculæ e rubro flavescentes fiebant & disparebant; ægra quoque se meliorem sentiebat, hilarior fiebat; abdomen non amplius tensum erat, postquam sedes plurimas fætidas habuerit. Omitt. jam medic.

Die ii Nov. plagæ quoque majores pro maxima parte disparuerunt; optima fruitur sanitate, & operi domestico iterum dedita est (99).

Caf.

(99) Hæc observatio amice a Doct. Stenovicensi. J. B. SCHUURMAN mecum communicata est.



Caf. IV. Mater 6 infantum, xxxvii annos nata, teneræ staturæ, vitæ sedentariæ dedita, e pauperum classe, mensibus per 16 annos suppressis laboravit, & intra hoc temporis spatium tres peperit infantes, quorum natu minori per tres annos, *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* interea perpessa, continuavit præbere mammas.

Medio vere anni 1798 ante morbi eruptionem conquesta fuit de corporis ingenti lassitudine ac torpore ad motum; post hæcce primo in pedibus maculæ rubræ, sensim sensimque multitudine incrementales, & dein ad crura, abdomen, pectus, artus superiores, collum & tandem faciem ascendentes, posteaque magis minusve livido-cæruleæ, apparuerunt, quarum nonnullæ rotundæ pulicum moribus non erant absimiles, aliæ & quidem plurimæ majores magnitudinem unguis digiti æquabant, ac multum vibices referebant. Cæterum omnes fere functiones bene respondebant, appetitus satis vigebat, sed querebatur ordinario de summo frigoris sensu, atque ut plurimum mane sentiebat insignem nausæ accessum. Porro sua negotia adhuc pertractare poterat.

Hæcce morbosa adfectio per 16 septimanas fere eodem modo absque ulla sensibili mutatione conti-

I

nu-





nuavit, increfcente debilitate atque majori frigoris fenfatione exceptis.

Hoc tempore jam elapfo quoque in interno oris cavo repetiebantur maculae cæruleæ vel nigræ, cruore femper teftæ, & ægra evigilata præcipue mane ingentem fanguinis nigri quantitatem, dentibus maxime adhærentem, exfpuere cogebatur; halitus quoque oris fætebat: hicce ftatus per 7 fere feptimanas duravit.

Dein accessit tumor brachii finiftri manusque coloris purpurei vel cærulei, quæ fanguine effufo admodum tuebant; hinc a Chirurgo lanceola in manu apertura facta eft, qua ingens fanguinis fætidî, diffoluti, nigerrimi copia effluxit; post hoc brachium detumuit, & ad naturalem rediit ftatum.

Die vi. Oct. ejusdem anni ægram, quæ antea fere nulla adfumerat medicamenta, primo vifitavi, & ob fordium indicia præfcripsi decoctum fruct. tamar. cum fol. fennæ, oxym. simpl., fp. nitrî dulc. & fyr. citri. Die infequente accedebat, quæ aliter ad hoc ufque tempus defecerat, febris, hæmorrhagia adhuc durabat; febre continuante oriebatur fumma debilitas atque calor urens; appetitus nunc plane deficiebat; accedebant deliria, & tandem die xiv Oct., quotidie julapiis antifepticis e  
fp.



sp. vitr. rob rib., camph., spir. nitri dulc. & aqua, & potu aquoso cum oxym simpl. adhibitis, post vehementem febrem putridam efflabat animam (100).

(100) Huncce casum ex animo mihi tradidit Doct. J. VAN GEUNS.



rigoris  
o oris  
igre,  
ecipue  
denti.  
hali-  
fere  
e co-  
effuso  
la in  
fa-  
hoc  
utum.  
antea  
ravi,  
ruct.  
nitri  
qua-  
hae-  
orie-  
peti-  
, &  
cis e  
sp.





# T H E S E S.

I. *Opinio Cl. WICHMANNI, qua statuitur, in infantibus dentitionem nullos excitare morbos, limitanda esse mihi videtur.*

II. *Hæmorrhoides æque e generali, ac particulari plethora oriri, statuo.*

III. *In morbis dysentericis nil, nisi debilitatem, esse corrigendum, BROWNIANIS non concedimus.*

IV. *Prudentis est, ab iis, qui jam variolis laborant, inoculatos arcere.*

V. *Plethoram inter venosam & arteriosam ratione causarum & curationis multa datur diversitas.*

VI. *Non solum e quantitate sanguinis effusi, sed maxime e viribus ægroti dijudicanda est hæmorrhagiæ gravitas.*

VII. *Circulatio sanguinis dependet a vi cordis & vasorum.*

VIII. *Hepar bilem secernens, liquorem in digestionis officina utilissimum, simul pro emundatorio systematis vascularis videtur habendum.*

IX. *Nimia uteri obliquitas partum quidem retardare, sed non, uti DEVENTERO placuit, difficilem reddere potest.*

X. *Pus videtur mutata actione vasorum e sanguine secerni.*

XI. *Inter optimas nostræ patriæ plantas recensenda est Artemisa maritima.*

XII. *Vegetabilia non solum gas acidum carbonicum atmospheræ, verum & aquam decomponunt.*

XIII. *Terra calcaria est terra sui generis, minime pro animali producto habenda.*

XIV. *Hydrogenium esse basin acidi muriatici hoc usque non videtur demonstratum.*

XV. *Acidum lithiacum est acidum sui generis, cujus quoque præsentia in urina sana non videtur in dubium vocanda.*

